Hec sunt vii peticiones que continentur oracione dominica quibus duo prin-
cipaliter expetuntur bonorum adepcio et malorum remocio. bonorum
autem quedam sunt eternalia quedam spiritualia quedam temporalia. eternalia
petuntur in primis. spiritualia petuntur in medio. temporalia in fine petuntur
sustentacionem. De eternalibus dicitur. adveniat regnum tuum. De spiritua-
libus additur. Fiat voluntas tua etc. De temporalibus subditur. panem
nostrum cotidianum da nobis hodie. Malorum autem alia sunt preterita alia
presencia alia futura. preterita sunt dolenda. presencia sunt vitan-
da. futura sunt precavenda. De preteritis dicitur. dimitte nobis debi-
ta nostra. De futuris dicitur. ne nos inducas in temptacionem. De presentibus subditur.
Sed libera nos a malo. Hec sunt illa que debemus orare secundum omnia per
beatitudinem dei. domino petere et accipere. ut gaudium nostrum sit
plenum. Unde huius septem speciebus admiscende sunt alie vii
species. hee septem beatitudines quas ipse christus enumeravit in evangelio.
Beati pauperes spiritu quoniam ipsorum est regnum celorum etc. omnes
hee species discrecionis pistillo conduntur in mortali mortari-
olo memorie ne durum conficiatur unguentum. i. ne fiat
oracio in peccato. Dicitur autem quod aliter orat quam debeat. Aliud debebat
orare mater filiorum zebedei que accedens ad ihesum oravit
et petivit. Domine dic ut duo filii mei sedeant unus ad dex-
tram alter ad sinistram tuam in regno tuo. Propterea dixit illi Christus. Ne-
scitis quid petatis. Aliter quam debebat oravit phariseus qui ascen-
dens in templum ut oraret hec apud se orabat. Domine gracias
tibi ago quia non sum sicut ceteri homines etc. Propter quod dominus ait.
Omnis qui se exaltat humiliabitur etc. Ad modum oracionis pertinent
hee vii species. fides. spes. caritas. iusticia. fortitudo. pruden-
cia. temperancia. huius ad miscende sunt vii alie species.

License: CC-BY-NC – St. Gallen, Stiftsbibliothek, Cod. Sang. 596, p. 104 – Excerpts from the lives and teachings of the Monastic Fathers (http://www.e-codices.ch/en/csg/0596/104)